DISSERTATIO
INAUGURALIS POLITICO-MEDICA
DE
CURA et PRIVILEGIIS GRAVIDARUM,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS ET DIRECTORIS, SPECTABILIS DOMINI DECANI

NEC NON

CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM

I. FACULTATIS MEDICAE IN REGIA SCIENTIARUM

UNIVERSITATE HUNGARIGA,

UT RITE CONSEQUATUR

DOCTORIS MEDICINAE

LAUREAM, EDIDIT

ALBERTUS SIGMANN

HUNGARUS.

ROYAL COLLEGE OF SURGEONS ENGLAND

Theses adnexae defendentur in palatio Universitatis.

PESTINI.

Typis Landerer et Heckenast.

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/b22389064

COLLEGIS MEIS CARISSIMIS

CLARISSIMIS DOMINIS

LEOPOLDO POLITZER

ET

ANTONIO IOFFE

MEDICINAE DOCTORIBUS.

IN PERENNE GRATI ANIMI

DICAT

AUCTOR.

Introductio.

§. 1.

Feminae, inter amplexus amoris coniugalis, primum germen, e quo futurus, olim evolvetur homo, in sinum suum recipiunt, i. e. concipiunt, g r a v i d a e evadunt. Hoc in statu supremum vocationis suae in hac vita culmen attingunt, atque parvum referunt mundum, in quo novus iterum producitur homo, et illustris Creatoris gloria relucet. Illae praecavent, ne genus humanum fame, bellis et peste in perniciem abripiatur; illae speciem suam perenni ratione conservant, i n c r e m e n t u m q u e p o p u l i, in cuius studio summum Civitatis principium situm est, quam maxime promovent.

§. 2.

Ceterum societatis tam privatae, quam publicae felicitas et salus non in eo solum consistit, ut auctam se prole videat, secus enim felix esset quoque civitas infirmo, miseroque vulgo et Lazarethis plena; atque hinc suapte intelligitur, ut debiles, senes, morbis exhausti, scrophulosi, rhachitide, arthritide adfecti, aut morbis nervorum gravibus, uti: epilepsia, catalepsi, chorea St. Viti etc., vel hameoptöe, phthisi etc. laborantes matrimonio potius renuncient, quam ut semet adhuc infeliciores reddant.

§. 3.

Ut igitur vegeti procreentur infantes, sicque finis Civitatis in aucto civium sanorum numero positus, assequatur, requiritur:

a) Aetas legitima et proportionata personarum matrimonium contrahentium. Nec nimium juvenilis, nec senilis aetas generationi favet.

b) Utraque pars sit relative sana.

c) Amor mutuus. Denique

d) Ut sana et robusta, atque numerosa progenies sperari possit, multum confert recta virginum et masculorum ante initum matrimonium informatio, et quidem: ut neocopulati sciant sibi moderari in negotio sexuali initio coniugii; quando vir uxori et haec viro debitum matrimoniale jure denegare possit etc.

§. 4.

Neque tamen sana et robusta obtinebitur progenies, nisi gravidarum iusta habeatur cura. Ob nexum enim immediatum inter foetum et matrem, omnes influxus noxii in matrem agentes, ipsi quoque foetui perniciosi fiunt. Plures igitur circa gravidas erunt observandae regulae, quae tamen omnes facile ad quatuor revocari possunt generos, quarum primum incumbit Reipublicae, alterum obstringit medicos; tertium maritos; quartum denique gravidas ipsas.

I. Officia quae statum concernunt publicum.

§. 5.

Civitatis interest gravidas a cunctis tueri injuriis; incrementum enim populi, in cuius studio, ut supra dictum, summum status publici principium, repositum est, aliter digne promoveri haud potest. Tales idcirco dictandae sunt leges, quarum vi omnes et singuli in gravidas certis stringerentur duci moribus, et qui renitterentur, poenas luant. — Cura autem haec Reipublicae non tantum ad legitimas, sed etiam ad eas, quibus extra legale matrimonium graviditas contingit, semet extendat est necesse.

§. 6.

Debet autem Respublica curare, ut gravidis honor suus, et protectio sua tribuatur. Antiquissimi iam populi, ut Seiler de privilegiis gravidarum habet, gravidis peculiaria iura tribuebant. Idem testatur historia vetustissimorum etiam populorum.

§. 7.

Reipublicae itaque intererit curare, ut omnes, gravidis aut foetui perniciosae causae sive mechanicae, sive chemicae et dynamico-chemicae, sive denique morales amoveantur. Severae itaque ferantur ubique leges contra omnes in eas iniurias, praecipue contra percussores ventris, qui ens innocuum facile necare possunt. Verba etiam acria in illas explosa severe vindicentur, nam his quoque ira, terror, tristitia produci, his vero iterum innúmera mala, matri et proli gestae perniciem saepe molientia excitari solent. Ipsae etiam Jurisdictiones cum gravidis mansuete agant, nullis minis, terriculamentis, minime vero poenis adficiant. Ita fiet, ut, quod in decus et emolumentum generis humani gerunt onus iisdem tantisper amoenius reddatur, ipsaeque quadam suavitate ac proemio adfici videantur.

§. 8.

Sociali etiam respectu debitos, circa grave hoc objectum, fieri oportet ordines: placide hinc recipiantur: et commodus in conventibus publicis gravidis cedatur locus. Primis enim graviditatis mensibus novam incipit vivere uterus vitam: fluxus menstruus intercipitur, uteri energia ad perficiendum fructum exaltatur, turbaeque tam in partibus vicinis, quam corpore universo cientur variae, hinc variae surgunt mutationes plus minus abnormes. Notae sunt gravidarum vomiturítiones, animi deliquia, spasmi, quae phoenomena, si in locis pubiicis erumpunt, neque ea commode perferre, neque locum suum deserere possunt, multa cohorte cinctae, id est, minus commode locatae. Tardius autem, dum uterus altius extollitur, et prominet venter, pressio huius violenta ingentia post se damna non trahere non potest; quo fit, ut inflam-

matio uteri oriatur, ut placenta solvatur, fluxus erumpat, et ita foetus matrisque simul vita saepius improvido modo in perniciem abripi debeat.

§. 9.

Sed non tantum mechanicae eiusmodi potentiae nocentes, verum dynamicae quoque gravidis et foetui suas infligunt noxas. Idcirco Ordines Reipublicae eo quoque tendant oportet : ne seu publicis seu privatis terrificiis spectaculis interesse ausint. — Exempla loquuntur funestos terroris effectus, quo factum est, ut, perculsis prius nervis matris, uterique subita contractione suborta, ipse foetus non raro expulsus, et qui expelli non poterat, futurae vitae suae tristi stigmate notatus existeret. An connatae Nevroses, ut Epilepsia, Convulsiones, non e hoc frequenti fonte suam sibi vindicent causam? An matres, quas terror subitus perculit, ipsae morbum medelis amplius flecti nescium, non ex eodem fonte jam toties repetierunt? An matris foetusque interitus non inde velociter iam secutus fuerit? L. B. van Swieten intra 12 horas vidit matrem, foetumque mori ob ortum incendium.— Gravia haec sunt et profecto attentione omni plus quam digna.

§. 10.

Ast dum a dictis spectaculis arcentur gravidae, videndum simul, ut objecta terrefica quoque privatis coerceantur aedibus. — Huc imagines pictae aut sculptae, monstra referentes, huc omnes charactere monstrorum notati, huc mutilati, laesi, syncoptici et epileptici censeri merentur. — Iam Lycurgi legibus stabilitum fuit, ut monstra in dissitas regiones deferantur, ne intuitus eorum gravidis noxas inferat : et Friedericus IV. Rex Danorum, Xenodochion erigi cùravit pro iis, qui sua deformi compage sociis hominibus, et praecipue gravidis terrorem incussuri videbantur. Et sane quampiam sint, qui influxum imaginationis matris in foetum aut rident, ant acrius negant; facta tamen et fides virorum dignissimorum, sua pro eodem porrigunt argumenta. C. L. B. van Swieten et Boërhavius multa hanc in rem scriptis prodidere suis, — et Haenius Viennae de Cathedra

suis auditoribus publice retulit foetum feminae gravidae, quae viso militis cranio per socium in rixa dedolatu, ipsa infantem cerebro dedolato, et sanguine adluto in lucem edidit. — Hebenstreit, Lipsiis gravidam ipse vidit, quae dum hominem artubus inferioribus orbum intueretur, postmodum eodem vitio adfectum peperit infantem. — Malebranche refert Parisiis vixisse juvenem, qui stultus in lucem prodierat, cruribus, brachiis fractis, et quidem iis in partibus, quas neferiis hominibus frangi iubent judices. Miserabilis ille juvenis 20 tamen annis vita potitus est; dubitari autem non potest, inquit ille, quin tantum malum a crurifragii spectaculo ortum habuerit, cui paulo ante partum mater interfuerat; huius videlicet imaginationem horrendi illius spectaculi aspectus ita commoverat, ut delicatioribus pueri membris tristia haec vestigia imprimerentur. Quodsi non ita frequenter accidat, nasci monstra et infantes distortos ac plane deformes, saepe tamen contingit, ut notis quibusdam et maculis signentur. Si gravida ardentius pomum, uvas, fraga aliaque id genus cupierit, infanti nascituro non infrequenter pomi, aut uvae, vel fragi etc. imago distincta imprimetur. Tantum in pueros valet matris imaginatio! Denique non physicam tantum corporis constitutionem perturbare et corrumpere potest parentis imaginatio, sed mentis etiam infirmitates in pueros traducere. Quod genitrix amat, quod metuit, quod horret, infans amabit, metuet, horrebit, ut varriis constat exemplis. Dum Maria Stuart Regem Jacobum in utero gestaret, ipsius sub oculis morte violenta Italus quidam fuit interemptus. Quo spectaculo vehementer commota, tantam parvulo transmisit impressionem, ut maturam aetatem assecutus, ad ensis conspectum contremisceret, palleret, vultumque ab eo detorquere cogeretur. — Sed etsi ratio horum phoenomenorum atris tenebris tecta sit, e summis tamen principiis naturae lucem quamquam extrahere licet; verum enimvero, si vis dynamica uberius ponderetur; si sedes eius et efficacia maxime in systemate nervorum resideat, cur actio eiusdem in foetum usque derivari non posset? id quod in imaginatione circa producendos et sanandos mordos non admiramur!

§. 11.

Civitatis porro intereit curare, ne horidae historiae diariis pro matronis, aut diariis popularibus e quibus mox per omnium ora circumferuntur et gravidis noxam inferre possunt, tam frequenter inserantur. Quis nescit, quantas unicum saepe verbum in animo mutationes inducit, quae electrici ictus instar mox totum feriunt corpus? Habet id praecipue locum apud gravidas, quae in hoc statu magna irritabilitate gaudent, et vel ab exiguis impressionibus ingentem, exerunt reactionem corpori, mentique damna illaturam. Quid igitur sibi verba horrida potestatis in gravidas adrogent, sponte patet. Exemplum hanc in rem narrat, Suetonius: mater filiae suae gravidae, alto mane sua gaudia supereo depromsit, quod eam tam placide dormientem invenerit, ut incendii sub noctem orti inscia, terroris poenam evaserit; — verum filia audita incendii voce subito conremiscens, metorrhagiam et una abortum passa est.

§. 12.

Ubique fere locorum lex saluberrima ecquidem iam lata est, qua severe prohibetur, ne obstetrices, pharmacopoei, et chyrurgi, aliique profani talia porrigant remedia, quibus foetus expelli, imo mater quoque in periculum conjici potest, inter haec emetica, catharctica, stimulantia et venaesectio praecipuam attentionem merentur; — at vero virtus legis hujus nondum tanta est, ut, non dico sancte stricteque, sed nec quidem laxe plurimis in locis observetur. — Quid quod in urbibus nonnullis anus de foro, talia pharmaca levissimo pretio lapsis vendere non raro consueverit? et apud quaestores, saepe etiam apud dardanarios an non omnia vilibus nummis hunc in finem servitura comparari possint? — Noscuntur in obscuris quoque villis mulierculae, quae parvo lucro impia consilia gravidis casu indere, et media ad scopum necessaria dictare non verentur. Iam Hippocrates de morbis mulierum scribens ait: abortiones graviores sunt, quam partus; non enim citra violentiam embrio corrumpitur, sive medicamento, sive potu, vel re alia quapiam. — Hoc in casu periculum est uterum inflam-

mari, ulcerari. — Et certe non solum observationes nostro quoque aevo ubique institutae, verum et ratio directe demonstrat, noxium pro abortu adhibitorum remediorum influxum.

§. 13.

Plurimae gravidae tantis saepe aerumnis expositae sunt, ut praestiti auxilii valorem, dum intime vellent, rependere haud possint, atque sic vel sibi relictae, vel rudibus manibus traditae una cum prole, quam gerunt ingentibus non raro coacto modo subjiciuntur malis; ac ideo summum in Rempublicam quoad augendum civium numerum redundat emolumentum exinde, si obstetrices bene institutae, publico alantur stipendio: obstetrices enim ignarae, necessariis graviditatis phoenomenis in lucem emergentibus, haec statim pro abnormibus declarant, remedia commendant, quibus cum innocenti inscitia morbum tollere velint, foetui, et matri labem inferunt saepe indelebilem.

§. 14.

Sed quemadmodum gravitas rei exposcit, ut in pago singulo adsit obstetrix publice instituta, publiceque dotata; ita me hercle! necessum est, ut in omni adminimum dictrictu adsit obstetricator versatus in arte, qui melius instrumenta tractare, suo tempore audax esse scit, quemve obstetrix in casibus gravioribus sub poena advocare teneatur. Vetulis aliisque personis illegitimis, cum neglectu obstetricis, aut obstetricatoris, parturientibus adsistere, nisi extrema urserit necessitas, sub poena interdictum sit, quia sic ut iam dictum, parturiens et neonata proles noxam experiri potest, et in casibus criminalibus nulla habetur clarificatio.

§. 15.

Si parturiens obstinax consiliis obstetricis, obstetricatoris aut plane medici non cederet, sacerdos est advocandus. In illis casibus, ubi iam tempore graviditatis evictum fuerat, partum normali modo et via fieri non posse Physicus advocari debet, qui cum

obstetricatore consilium ineat circa avertenda pericula. Citra matris parturientis assensum operationem fors lethalem suscipere medici non audeant, si tamen parturiens sub ipso partu moreretur, tunc ad foetum salvandum sectio caesarea illico suscipiatur. Determinatio autem num mater asphyctica vel mortua sit, aut num sectio caesarea necessaria sit, obstetrici non convenit.

§. 16.

Postremum denique Reipublicae munus circa gravidas in eo consistet, ut erigat locum, quo gravidae pauperes et lapsae recipiantur. Quid enim aequius, quam egenis, laboribus impotentibus, aut quibus labor perniciem struit, humanum ferre opem? Sane multae sunt mediis vitae necessariis ita orbae, ut neque famem sedare, sed neque ea, quae partus deposcit impendere queant. Hac sub verum positione et ante et post partum laboribus adfligi, eius sub ipsa gravissima functione curis aterrimis obrui coguntur, quibus omnibus et suae, et foetus aut infantis vitae ruinam praematurum parant.

II. Officia medicorum erga gravidas.

§. 17.

Caterva officiorum, quibus medici erga Rempublicam, erga socios homines sanos et aegros, mortique proximos ligantur ingens quidem est; sed tamen graviter, et veluti cum quadam praelatione gravidis obstringuntur. — Verum haec etiam officia una e dignissimis medicinae partibus, videlicet Obstetricia, satis abunde proponit, adeo, ut caeteris, quae huc referenda essent, praetermissis, ea solum, quae maxima attentione digna sunt, hic exponenda veniant.

§. 18.

Multae mutationes molestae vel negligi, vel obstetricibus tractandae relinqui possunt, ut id exemplo gravidarum plurium, quae functionem hanc sine medicorum influxu percurrunt, comprobari videmus; dum tamen momenta causalia, quibus abortus

produci possent in lucem emergerent, medici ratio et experientia in consilium vocanda erunt, atque eo dirigenda, ut causae tam disponentes, quam excitantes amoveri, aut si fieri nequiret, saltem abortu secuto, aut foetu, intra uteri limites peremto, mater periculo eripi valeat.

§. 19.

Causae ad abortum disponentes, universales vel topicae, eaeque tam dynamicae quam materiales esse possunt. — Universalibus adnumeratur: sanguinis copia vel inopia, eius acris aut tenuis indoles; debilitas universalis, laxitas compagis totius, irritabilitas exaltata. — Ad topicas referentur: uteri debilitas, laxitas, rigiditas, nimia irritabilitas, aliaque vitia conceptionem tamen haud impedientia.

§. 20.

Propositis causis disponentibus, excitantes restat exponere. Quamvis vero hae medico omni notae esse debeant, et officia medicis hic adducere, superfluum esse videatur, ob arctum tamen materiae huius nexum praeteriri nequaquam potuerunt. Aptior tamen locus pluribus causis excitantibus ibi assignandus esse censetur, ubi de officiis partim maritorum erga uxores, partim vero gravidarum erga se ipsas verba facturus sum; nam hae eius sunt potissimum indolis, ut medicis tantum proferendae, illis autem strictissime observandae incumbant. — Sunt tamen nonnullae nisî prudentia et solertia medici avertendae, uti: vitia primarum viarum, vomitus violentus, tenesmus, dysenteria, febris, orgasmus, convulsiones, spasmi, atque neurosium ceterarum integra cohors.

§. 21.

Dispositione pro virili, ubi licet, apud gravidas immutata, atque causis abortum excitare valentibus remotis, foetus feliciter ad partum usque provehetur. Sed ubi natura et ars misero succurrere nullatenus valebunt, ille peribit, atque tunc summa medici cura eo convertenda, ut quam citissime corpus matris

eodem liberetur, hancque salvam omni ex nervo servare studeat. Quid, quomodo, quando in dictis omnibus agendum sit, vastissimum medicinae studium uberius docebit.

III. Officia maritorum erga uxores gravidas.

§. 22.

Magno in honore habenda a marito est uxor, non quidem ut domina — ne mariti auctoritas vilescat, et ipse uxori nupsisse videatur, quo casu de totius societatis honore actum esset — sed ut vitae socia, quae ut jus civile loquitur (l. 13. I. de dignit.) ex ipsa conditione status conjugalis „corruscat radiis mariti“ et cui habitus a marito, honor in ipsammet reflectitur. — Svavi et leni imperio est porro uxor gubernanda ita, ut imbecillioris sexus errata tum dissimulentur, tum si dissimulanda non sint, placidis ut plurimum verbis — vel certe non duris nimium — corrigantur; illi profecto mariti, qui sexu suo confisi, scommatibus atque verberibus in uxores suas animadvertunt, mulionibus potius, aut agasonibus, quam honestis conjugibus sunt accensendi. Certe apud Romanos verbera uxori illata, inter causas divortii, ab illa petendi habebantur. Ubi vero uxor gravida evaserit, maritus toto graviditatis tempore eandem quam manusetissime tractet, atque a laboribus, imprimis gravioribus, dispenset. Circa finem graviditatis solitariam illam nunquam relinquat, ubi se uxor male senserit, de auxilio illico prospiciat; imminente vero iam non adeo post longum tempus partu, obstetricem bene informatam advocare non intermittat.

§. 23.

A coitu cum uxore gravida maritus, primis praecipue duobus mensibus post conceptionem, et versus finem graviditatis, abstineat. Quod enim coitus, quem nonnulli initio graviditatis innocuum esse statuunt, sub graviditate semper noxius esse possit natura rei, et exempla abunde docent. Klinkosch dicit, quod foetus primis temporibus teneris, et facile solubilibus fibris constet, qui

amplexione fervidiore ubi abdomen imprimitur, uterus vero dehiscens per membrum virile validius sursum et ad latera urgetur, facillime annihilari potest. Cum uterus post conceptionem vitam vegetiorem vivat, vasaque eius magis evoluta, turgidiora sint, hinc facile per irritationem, coitus ope provocatam, haemorrhagiae aut inflammationes oriri possunt. — Ac ideo iam S. Hyeronimus monuit: „Illi, qui pro bono publico, et generis humani matrimonio junguntur, adminus animalia irrationalia sequerentur, et dum feminae illorum gravidae sunt, fructum pullulantem per coitum non destruant, seque non qua maritos, aut amatores, sed qua amicos exhibeant."

§. 24.

Expositis officiis maritorum erga uxores praegnantes, aptus mihi videbatur locus succincte commemorare ea quoque officia, quibus parentes, cognati, tutores et heri stringantur erga personas, queis graviditas extra statum contigit matrimonialem. — Quidquid ergo de gravidis, parturientibus et puerperis in legitimo dixi matrimonio, id ipsum etiam procurandum circa personas sexus sequioris, quae extra matrimonium utero concipiunt et pariunt, aequali quippe iure gaudent, eoque magis reflexionem merentur, quod plerumque miseriores omnibus destituantur, animo plerumque infirmae sint, et ut iis dematur ansa et occasio saeviendi in foetum, quem utero gestarunt. — Parentibus itaque, tutoribus et heris interdictum sit, tales personas ignominiis adficere, crude tractare, minime vero licet praegnantem talem ex urbe, domo, et Familia exterminare. Nullo modo tolerandum, ut seductis titulus virginum honestarum denegetur, vel ut cogantur peculiari vestitu incedere, ut publica desponsatione careant, sed adhuc minus, ut proles illegitimae ab officiis, honoribusque excludantur.

§. 25.

Ne tamen numerus spuriarum prolium nimium in modum augeatur, curandum: ut omnes causae removeantur, quibus matrimonia difficilia reduntur; educatio tam privata, quam pub-

lica; tum et praecipue puellarum dirigatur in conservandam pudicitiam et castitatem; parentes, tutores et heri occasionem cöeundi extra statum matrimonialem quantum fieri potest impediant; Respublica id conetur efficere, ut lenae et lupanaria auferantur. Si tamen contingat personam extra matrimonium gravidam fieri, ea, ut dictum, omnimode protegatur, populusque informetur, ut potius commiseratione quam indignatione ducatur erga miseras tales seductas personas. —

IV. Officia gravidarum erga semet ipsas.

§. 26.

Postremum officiorum genus gravidas ipsas concernit. Caterva malorum saepe gravidas et foetum ferit, quam illae sibi proprio vitio, neglectis omnibus in hoc statu vivendi legibus, contrahunt, atque sic abortibus, horumque sequelis insignem praebent occasionem. Idcirco miramur illicita gravidarum opera non raro, et illas obligationum suarum leviter oblivisci merito querimur. —

§. 27.

Itaque cum universim quod vitam recte tuendam, omnia, quae modum excedunt, eidem noxia sint, vitandus est gravidis: Abusus ciborum stimulantium, et multum nutrientium, vel et e contra; sic et abusus potuum spirituosorum. Cibi nimia copia ingesti in validioribus plethoram et erethysmum, haemorrhagias et abortum; in debilioribus, vel si cibi malae fuerint indolis, praecipue difficulter digerendi, vitia primarum viarum provocant, haec adpetitum destruunt, vomitum, diarrhoeam, tormina post se trahunt, gastritidem et febrim gastricam excitant, fluxum sanguinis in utero eliciunt perquam frequenter. Quid ciborum defectus inducat sponte fluit. Quod potus spirituosos attinet, hi exacuunt humores maternos, calefaciunt, rarefaciunt, atque ita circulationem, respirationem vehementer propellunt, unde fit, ut febris inflammatoria, vel in-

flammatio topica uteri, fluxus sanguinis uteri cum saepe tristi exitu sequi soleant. — Tristes observamus, potum cremati in classe inferiore proh dolor! de die in diem magis invalescere, summo in foetus nocumento. Foetus enim omnes rationes matris participant, et ubi per abusum stimuli huius debilitas et exhaustio vitae nerveae provocatur, quin fiat ut foetus hinc non patiantur non concipio. Sic Esquirol et Pinell referunt plurimos fatuos, et fatuas matre ebriosa natas fuisse. Teste Riedlino femina ebriosa e septem foetubus quos peperit, nec unum adolescere vidit. Zückert dicit: si vel maxime conceperint ebriosae, aut ante tempus parient, aut foetus edent tam imbecilles, ut vix per aliquod dies supervivant. — Accedit huc inclinatio ebriosarum in rixas, sub quibus abdomen saepe patitur, et quoties non abortiuntur tales ebriosae, quae titubando infirmissime gradientes labuntur? Abusum spirituosorum causam plurimarum nervosium, abortuum, expositionisve infantum, et infanticidii plures egregii auctores adnotarunt, quare huius restrictionem inter maxime pia desideria referri quis dubitabit? Roma; Carthago contra ebrios poenam statuit, et feminae potae in jus vocatae, post partum poena adulterii et fornicationis adflictae fuerunt. — Sicut vero in classe hominum inferiore potus cremati; ita in superioribus hydromania, theae et coffeae abusus suas habet in foetum noxas. Per priora quidem laxitas, cachexia serosa, et hydrocephalus, per posterius autem ob plethoram abdominalem inductam vitia plethorae jam recensita, oriuntur.

§. 28.

Motus sub graviditate intermissus noxius est, quod digestio ceteroquin tempore hoc debilior per motum neglectum magis langueat, unde et chylificatio, et sanguificatio imperfectior humorum cruditatem generat, quare in foetu habitus lymphaticus pro parte originem suam debet. — Gravidae ruri colendo natae minus periculi e neglecta quiete metuendum habent; at quibus fortuna sublime cessit genus, quibus divitiae congestae, quibus in urbe modus vivendi obtingit, et quibus idcirco labor moderatus e

praejudicio derogat, has multae feriunt noxae. Itaque universae quidem, sed imprimis constitutione laxa praeditae, et anomaliis alvi obnoxiae dignentur nimiam vitare quietem. —

§. 29.

Sed quemadmodum motus neglectus, ita motus sive activus, sive passivus validior aeque nocent; quare saltus, equitatio aut vectio super strata aspera, labores graviores, cum adstrictione virium majori saepe corpore antrorsum inclinato peragendi, ob inductam uteri compressionem situs foetus irregulares et curvaturas, haemorrhagias, partus praematuros, aut abortus causant. Elucet hinc una, quantum conferre possint malae conscientiao mulieres ad abortum, si aliis mediis careant, per susceptos huiusmodi motus, imprimis per labores cum motu conjunctos, procurandum et foetum necandum. —

§. 30.

Vestitus. Relationes hominis variae, varium quoque vestitus genus eligunt; neque quis tam pertinax erit, ut eandem, quam rigida hyeme fervidis etiam aestatibus geramus pelleam vestem. Id utinam utero gravido benedictae omnes agnoscere vellent feminae! Sed quo virgines olim usae, eodem proh dolor. gravidae quoque in sui foetusque ruinam et summum Matrumfamilias dedecus uti; vestitu plusquam desiderant, studio servandae vel mentiendae, quae virginibus competit, formae. Ideo thoraces toti etiam sexui noxias, non tantum non reponunt; sed insuper firmis fulcris prominentem ventrem reprimere, circulis item ferreis aut de Balenae ossibus factis eundem cingere vane noverunt. Sed vero foetus mole crescit, antrorsum, sursumque fertur, atque ideo ventrem extendit, organaque sibi vicina premit, in functione sua impedit: an sub hac rerum positione vestes thoracis et ventris non sint relaxandae?

Hypocrates jam de genitura ait: „Corpus embryonis in utero. si hic angustetur, mutilari est necesse.“ —

Causa partus facilis in Syria, vel apud nostrates rusticas justo

inde repetenda, quod feminae thoraculis aut vestibus constringentibus quibusvis abstineant. —

§. 31.

Magnam utero gravido stragem per coitum inferri supra iam abunde ostendi, hic tantum commemorare volo quodsi abortus in sequelam coitus secutus non fuerit, tunc vel monstra nascuntur, vel foetus mortuus, aut cito moriturus gignitur, aut cui vivere licet, hic debilis, fatumque suum terrestrem emetietur cursum.

§. 32.

Usus remediorum drasticorum scopo abortum procurandi, si hic etiam non contingat, quantum detrimenti foetui adferre debeat, facile est dijudicatu vel exinde, quod partum aut praematurum, aut immaturum cieat, ubi foetus enixus ceteroquin summe irritabilis et sensibilis influxibus cosmicis plane non, vel aegre saltem resistere valet, et ubi patriae civis summe utilis futurus nasci potuisset, nunc in detrimentum eius natus est.

§. 33.

Consuetudo pia quarumdam gravidarum tempore hyemis, ubi hae saepe super glacie gradientes facile labuntur, aut pelvi minus contra frigus munita, etiam per horas in ecclesia morentur, magnos habet influxus, quatenus circuitu sanguinis in utero retardato, stases et inflammationes generantur, unde hic ad contractiones spasticas, et haemorrhagias invitatur, omnes sequelas ex contractione uteri, haemorrhagiisque orriri solitas post se trahens. — J. P. Frank commemorat tumorem, ex hac causa ortum, sub partu omni respectu molestissimum. —

§. 34.

Abortus frequenter a nixibus ortos fuisse experientia docet. Sub nixu enim aër inspiratus, rima glottidis clausa pulmonibus coërcetur, diaphragma dehiscit, et figitur, musculi abdominales aeque contrahuntur, hac ratione cavum abdominis coarctatur, organaque ibidem contenta premuntur, prae reliquis uterus vesica urinaria et intestinum rectum, quia diachragmati objacent. Patet

hinc nixum in uterum semper agere, qui vere cum a voluntate dependeat, debiles et plethoricae a nixu abstineant, ne repetita pressione uteri, idem exacerbatus, ingenti copia sanguinis matrem et foetum vita spoliet. — Denique

§. 35.

Animi affectus sive excitantes, sive deprimentes magnum in organismum femineum sensibiliorem, et irritabiliorem, et per hunc mediate in foetum exerere influxum experientia quotidiana docet. Matres namque mansuetae, nec sub graviditate affectibus indulgentes, mansuetas generare solent proles; ubi e contra matres animi affectibus, praecipue irae indulgentes, proles clamorosas, spasmis adflictas in lucem edunt. — Saepe ob influxum matris iracundae ipse foetus spasmis agitatus, situs irregulares acquirit, quibus diutius durantibus curvaturas membrorum oriri posse e praecedentibus patet. Quoties autem fit, ut post animi commotionem talem mox abortus sequatur. Exemplo sint verba cel van Swieten: „Foemina 30 annorum, robusta et procerae staturae cum termino graviditatis proxima esset, subito excandescit ira, dum vicina mulier puerum suum quinquennem percuteret. Mox aliquid insoliti sentiens in corpore praedixit se inde morituram. Post aliquot dies subito profusa uteri haemorrhagia sequitur, unde convulsa periit, antequam quid tentari posset, ut servaretur. In cadavere inveniebantur bini foetus masculi, sanguine nigro, coagulato tecti.“ — Vitent ergo nimias adfectiones animi gravidae, vitentque socii homines, ne in iis quacunque ratione vehementes excitent adfectus, praesertim deprimentes. Huc animi affectus deprimentes, per persuasionem partus difficilis futuri, quam vetulae aut obstetrices in longis saepe narrationibus in gravidis pervocant, referuntur. Si itaque unquam profecto in graviditate femina senes socias fugiat, quibus operantibus et virginum castitas, et uxorum fidelitas saepe seducitur!

§. 36.

His praemissis influxus sexus sequioris — cui convenit causas nocentes evitare vel non — in foetus vitam physicam abunde

patet, indeque morborum infantilium plurimorum, quorum non pauci per neglecta reliqua quoque officia matrum oriuntur, uberrima scaturigo est, ut asserere adeo audeam, calamitatum plurimarum, quas homo patitur non alios quam parentes esse auctores, et a quibus vitam participavit, ab illis et mortis repetat fomitem. Ex omnibus autem hucadusque dictis patet, omnia circa gravidas officia eo unice tendere, ut potentiae nocentes ab iis avertentur. Utinam non tantum Respublica, Medici, Mariti et ipsae Gravidae, sed et singuli socii homines amore vero, et reverentia erga eas incensi, haec officia suae imprimerent conscientiae, eaque ad amussim observare non intermitterent! —

Theses.

1. Educatio feminarum melius coordinanda, ut sic matres evasurae se et foetum tueri noverint.

2. Mariti feminas suas gravidas inurbane tractantes puniendi essent.

3. Febris symptoma, non morbus est.

4. Nec attritus, nec fermentationis theoria sufficienter illustrant processum digestionis.

5. Diaetetica, remedium praeservativum optimum.

6. Homines indigent medico.

7. Non tamen ars, sed natura sanat morbum.

8. Contagium ulceris syphilitici ab eo blennorrhoeae maxime differt.

9. Scrophulosis cum tuberculosi non est idem morbus.